



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Qui duas habet ecclesias, si altera fuerit spoliatus, non est restituendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

recepisti pro aliquo, vel aliquando recipies, qui aliud beneficium habet, de quo valet commode sustentari, nisi forte in literis ipsis de alio beneficio quod habet, mentio habeatur: aut si nunc non potes ei sine scandalo providere, æquanimiter sustinebimus, si pro eo preces & mandatum nostrum non duxeris exequendum.

CAP. III. *Idem.*

Deferente I. Nob. presbytero, latore præsentium, accepimus, quod cum duas ecclesias haberet, archidiaconus tuus ipsum altera illarum spoliavit, & eam cuidam presbytero N. nomine assignavit. Prædictus autem I. sentiens se in hac parte gravari, ad venerabilem fratrem nostrum *Treuerensem archiepiscopum appellavit. Cumque idem I. de mandato eiusdem archiepiscopi in præscriptam ecclesiam fuisset restitutus, memoratus G. ad audientiam nostram appellavit. Postea vero præditus archiepiscopus eundem Leo, quod ad præsentiam suam vocatus, ut alteram de prædictis ecclesiis prænominato G. concederet, venire contempsit, vinculo excommunicationis adstrinxit. Nos autem a sententia qua tenebatur, facientes eum absolui, eundem duximus tibi remittendum. Quo circa mandamus, quatenus partibus ante præsentiam tuam conuocatis, præscripto I. vna de præscriptis ecclesiis, quam voluerit, cum pertinentiis suis relicta, alteram præfato G. si ecclesiam non habet, non differas assignare. Si vero aliam habet ecclesiam, alteri personæ idoneæ, beneficio ecclesiastico carenti, incunctanter assignes.

CAP. IV. *Idem in Concilio Turonensi.*

Maioribus in ecclesia beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum clericorum præbendæ patiantur sectionem. Idcirco ut sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis ecclesia firmam habeat vnitatem, diuisionem præbendarum, ut dignitatum permutationem, fieri prohibemus.

CAP. V. *Idem Norwicensi episcopo.*

17. Quest. 3.
Diaconi.

AD audientiam nostram peruenit, quod H. presbyter monachos de Ramefeia, & clericum suum T. petendo